



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Cvr cæcum sanauit Christus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

IN CAPVT NONVM

ARGVMENTVM.

VM Christus e templo egressus, Iudæorum lapidare volentium furori sese subdixisset; cæcum non casu, sed providentiâ diuinâ inuenit, & sanauit. Nota est in Ecclesiâ rei gestæ historia. Legitur in Syriacâ Ecclesiâ in Sabba, vel dominica seu hebdomade דַּעֲשַׁבְתָּהּ דַּעֲשַׁבְתָּהּ דַּעֲשַׁבְתָּהּ desebetha, ignis ieiunii vel vt alii. דַּעֲשַׁבְתָּהּ desebetha. Porro quæ sit illa hebdomas, quam vocent, Ignis ieiunii, non satis notum est: non dubito tamen ex aliquâ lectione occasionem sumptam: nempe de tribus pueris Deum in igne laudantibus, aut victoriâ Eliæ contra falsos prophetas.

VERSVS 1.

Et prateriens Iesus vidit hominem cæcum à natiuitate:

QVÆSTIO I.

Cur cæcum sanauit Christus?

§. 1. QVædam exemplaria habent τὸ φῶς ἐκ τῆς τῆς καὶ θηροῦ. Cæcum à natiuitate sedentem. Quod est dubio procul à glossa, cum in Latino, Syro, Chrylostomo, Theophylacto, & emendationibus exemplaribus non inueniatur. Curauit autem cæcum, vt potestatem diuinam, quam cum furore, lapidationem parantes negarant, ipse nouo miraculo assereret, Ingratos superbos, diuites præterit, pauperem, suæ misericordiæ participem, & gloriæ suæ præconem facit. Fecisse in signe miraculum Chryostomus ait, & ex eo Theophylactus vt emolliret duritiem cordis eorum. ἡ σκληροῦ ἀπὸ τοῦ μαλακῶσιν. molliens duritiem eorum. Itaq; vidit eum Iesus, (nomen tamen Iesus nonnulli codices omittunt) vidit misericors miserum, & à Deo ab æterno electum, vt per illum gloriam suam illustraret. Dicitur cæcus à natiuitate, vt miraculi veritas, nouitas, magnitudo elucescat. Syrus habet: דַּעֲשַׁבְתָּהּ דַּעֲשַׁבְתָּהּ דַּעֲשַׁבְתָּהּ demen cæcus imbec, ab vtero matris sua. Cæcus genus humanum indicat, vt Augustinus tract. 4. 4. aliique tradunt.

VERSVS 2. & 3.

Et interrogauerunt eum discipuli eius, Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus nascere-tur? Respondit Iesus, Neque hic peccauit, neque parentes eius: sed vt manifestetur opera Dei in illo.

QVÆSTIO I.

Quo sensu dicatur non peccasse?

§. 1. RVDis quæstio videtur, quod interrogant an ille, an parentes peccarint, vt cæcus nasceretur? Peccare enim non potuit, antequam nasceretur. Variæ solutiones adferuntur: Nonnulli Apostolos adhuc rudes quæstionem absurdam proposuisse concedunt. Alii vt Caluinus, credidisse discipulos ἡ δὲ ἐμὴ φύσις, & περὶ τῆς φύσεως Pythagoricam, id eo animas ante peccasse, eo modo quo post Origenis docuerunt. Sed quamuis inter cæteros Iudæorum quorundam errores ille etiam fuerit, non est tamen credibile Christi discipulos, nec ab eo, nec à Iohanne rectius institutos: cum error ille peccatum originale non obscure tolleret.

Alii occasionem interrogandi ex accurata Christi Adami Concen in Euang. Tom. 1. l.

in illum inspectione accepisse. Alii vero cum scirent omnem morborum, aliarumque rerum aduersarum miseriam de manu Dei esse, & pœnam peccati, non dubitasse pœnam esse comitem alicuius delicti. Lex enim Deut. 28. Bona bonis, mala malis euentura pronunciat: vt res tota intelligatur: Sciendum est Iudæos in calamitosos & insigni aliquo corporis vitio afflictos, fuisse contumeliosos, non minus quam fuerunt amici Iob, qui misero in summis doloribus, tanquam homini improbissimo insultabant. Suis ex traditionibus eiusmodi opiniones hauriebant. Lib. Misnaioth, in quo benedictiones, preces, laudationes variæ leguntur. Ita habet, cap. 9. Qui viderit mancum, cæcum, lato capite, claudum, erisipelate affectum, albuginosum. Dicit: Benedictus sit iudex iustitia. Quali continuo pronunciarent miseros illos aliquo scelere pœnas illas attraxisse. At hic cum non peccarit antequam natus esset, non potuit facto aliquo à se perpetrato obnoxius esse pœnæ. Causam igitur querunt, quomodo Deus sit iudex iustitiæ? Quis causam cæcitati dederit? Duplici autem ratione res intelligi potest. Primo, vt sensus sit negantium peccasse cæcum; itaque pœnæ causam oportuisse parentes esse. Temporarias enim pœnas ob parentum delicta filii interdum luunt. Sic Chanam Gen. 9. Amelicitæ 1. Reg. 25. Roboam 3. Reg. 12. Achabi liberi 4. Reg. 20. Vel certè quæsierunt; an cæcitas misero sit inflicta ob solum peccatum originale, an vero ob peccata parentum. Nam peccati originalis cognitionem habuerunt, sciueruntq; ob illud solum omnia incommoda morbos inferri posse.

Iudæi in miserios contumeliosi.

§. 2. Respondet Dominus, nec illum, nec parentes peccasse, vt cæcus nasceretur. Sed vt gloria Dei in illo manifestetur. Causæ Deo variæ sunt, cur calamitatibus interdum etiam immeritos premat. vel enim eos à peccando præseruare, vel patientiam fideique notam mundo facere, vel suam per illos gloriam manifestare solet. Interim vt nec externæ opes, splendor, sanitas, dignitas signa sunt electionis, aut probitatis, ita neque miseriarum in aliquem congesta multitudo est diuinæ indignationis indicium, ita vt nec ipsi pusillo animo illas ferre, nec de vita aliorum iudicare ex tam incertis argumentis debeamus, suos enim Dominus in fornace tribulationis probare solet, & reprobos olim cruciandos nunc aliquando deliciis permittit affluere. Filios enim cum disciplina educat, vt paterni patrimonii suht hæredes frugi, mancipia contemnit, breui venditurus.

Calamitates non sunt signa irati Dei.

§. 3. Pelagiani ad suam hæresin locum præsentem producere solebant. Nam & cæcum sine peccato natum concludebant, & parentes eius non peccasse, homines iam grandætos affirmabant. Sed iam olim Chryostomus, Augustinus, alique monuerunt, non affirmare dominum, aut cæcum aut parentes esse sine peccato villo, verum tantummodo profiteri, propter eorum peccata cæcitate non esse punitos. In omnibus nascentibus inest peccatum originale, in adultis actualia, non tamen omnia cæcitate